57

Jahresbericht

des

Städtischen katholischen Progymnasiums

zu

Frankenstein i. Schl.

über das Schuljahr 1879—80
und das Schuljahr (Wintersemester) 1880—81.

INHALT:

De Flori rerum scriptoris elocutione. Particula I.

Vom Rektor Dr. Thomé.

Frankenstein.
Druck von Hugo Lonsky.
1881.

1881. Progr. No. 152.

Flori rerum romanarum Epitomen, quamquam a nullo veterum diserte commemoratur, tamen aliquot scriptores novisse ex iis locis, quos aut laudant aut alio modo in suum usum converterunt facile apparet, in his Augustinum, Orosium, Jordanem. De tempore autem, quo ille fuerit, ambigere non licet, quippe quod ipse satis aperte indicet (Prooem. 8); neque quisquam hodie quidem negabit, Domitiani et Trajani et Hadriani aequalem fuisse, cui sententiae praeter illum Prooemii locum et ipsa rerum narratio et universum dicendi genus fidem faciunt. Quod cum satis constet, tamen qua vitae usus sit conditione, num idem fuerit cum Floro poëta illo, cuius Charisius mentionem facit, et quocum Spartiano teste Hadrianus joculari carmine certavit, et hic ipse num diversus sit a dialogi illius auctore, cuius fragmentum O. Jahnius primus edidit, ad liquidum plane perduci nequit. Quamquam poëtam romanum et puerorum praeceptorem Hispaniensem unum hominem fuisse paene pro certo haberi potest, quoniam et nomine et aetate omnino inter se congruant; atque etiam rerum scriptorem, ut Mommsenium, Halmium, Spengelium secuti non alium fuisse existimemus, tria potissimum sunt, quae hortentur. Primum quod aequalis illorum fuit, deinde quod eius oratio cum fragmenti illius, quantum quidem ex tam exigua particula judicari potest, plurimis rebus consentit. Ad quod cognoscendum cum totum utriusque dicendi genus spectare oportet, tum vocabula quaedam locutionesque inter se congruentia; quae deinceps ita enumerabimus, ut singulis dialogi locis pares vel similes Flori subiciantur:

Fragm. p. 106, 4 (Halm.) 'ab urbis spectaculo': 2, 16, 1 'Corinthus quasi spectaculo exposito'; 1, 18, 8 'converso in specaculum bello'. 4. Baeticam revertentes' et infra 107, 19 'Italiam redii': 2, 2, 15; 2, 6, 21; 3, 4, 1. — 5. 'quos... ventus in hoc litus exusserat': 2, 6, 42 'excutere oppidis et regionibus'; 2, 14, 2 'jugum'; admonet etiam loci, qui est 4, 2, 64 'hic reliquias partium naufragarum quidam fugae aestus expulerat'. — 22 'ubi versus tui... concinuntur et in foro omni clarissimus ille de Dacia triumphus exultat'; cui simillimum 4, 2, 8 cum Ponticos Armeniosque triumphus in Pompeianis theatris Roma cantaret; — 26. 'victor gentium populus': idem 3, 9, 2; 3, 14, 3; 4, 12, 61. — 107, 3 'volnus dolorum rescindere': 3, 23, 4 ne volnera... rescinderentur; 4, 2, 72 'rescidit plagas'. — 8. 'animus resiliit ab illa civitate': 4, 12, 2 'ab imposito nuper jugo resiliebant'. — 11 'per diversa terrarum': 2, 6, 11. — 19 'rursus redire': 1, 3, 9. — 27 'pervolitavi': idem quidem non extat apud Florum sed volitare frequenter 1, 17, 2; 2, 6, 32; 3, 5, 27; 3, 10, 17; 4, 8, 2. — 36 'ecce jam': 4, 2, 10. — 108, 32 'id est': 2, 8, 6; 2, 17, 9; 3, 3, 6; 4, 2, 15.

Quae quamvis parva ac levia per se, siquidem etiam apud alios legantur, tamen conjuncta aliquid ad probandum momenti habent. — Tertium est, quod quotiescunque de Hispaniae rebus agit, et terram et incolas non modo honorifice semper et sine odio commemorat sed etiam summis laudibus effert. Cf. inprimis 2, 6, 38 'bellatricem illam, viris armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem cet. et 2, 6, 3—7; 2, 18; 4, 12, 46—61; unde colligi licet, illam terram ei aut patriam aut certe diuturno hospitio carissimam fuisse, id quod in fragmenti auctorem, cui Hispania non minus arridet, egregie convenit.

Quodsi praenominum diversitas obstare videtur, unus cod. Bamb. Juli nomen exhibet, quod unde natum sit, variae causae cogitari possunt — forsitan ex Horatii illa epistula petitum — reliquorum vero, in quibus L. Anneus legitur, discrepantia ab Annio, cuius nominis et dialogus et Charisius auctores sunt, tam exigua est, ut contraria si spectentur, nullius ponderis esse possit.

Cur autem Flori potissimum dicendi usum atque elocutionem exponere instituerimus, si quis quaerat, huius scriptoris opus ad eam rem propterea inprimis idoneum videbatur, quod 'brevi quasi tabella', ut ipsius verbis utamur, non modo pleraque argenteae aetatis propria, sed etiam multa, quae apud alios non reperiantur, comprehendit. Ceterum hic quidem nihil aptius proponi posset quam Horatianum illud: 'Lucili, quam sis mendosus.., pervincam', si omnia menda huius scriptoris persequi nobis in animo esset. Sed de his jam alii, in quibus O. Jahnius in praefatione editionis suae et Spengelius in Tract. Acad. Bavar. IX, II et C. Heyn (de Floro historico) accuratius disseruerunt; nobis tantum propositum est ea quae ad illius dicendi rationem pertinent, — in his etiam vitia — quantum quad fieri potest, explicare. Quorum gravissima et quae ei jure exprobrantur, — ut paucis indicemus, — sunt: primum quod in rebus narrandis historiae fidem parum curat, alterum quod eius oratio saepe tumida et in translationibus adhibendis effusior est, tertium quod vocabulis et locutionibus quibusdam justo magis frequentatis taedium legenti movet. Quae vitia eo molestius feruntur, quo magis iis, quae in eo vere laude digna videntur, officiunt. E quibus hoc maxime admiramur, quanto ingenio quanto que arte plurimis locis ea, quae exponere vult, paucissimis quidem verbis sed imaginibus maxime perspicuis atque concinnis descripserit. Neque tantum in singulis locutionibus sententiisque id spectatur, sed etiam in majoribus libri partibus, quo in numero habemus bellum punicum primum et secundum, Marianum, Caesaris et Pompei. Quamquam hoc ipsum quod tantam operam dedit, ut legentium animos nunc admiratione, nunc horrore rerum gestarum permoveret, in causa fuit, ut verba saepe audacius jungeret variisque lenociniis orationem magis oneraret quam ornaret. — Sed haec suo quaeque loco longius prosequemur. Totam autem materiam copiosissimam ita divisimus, ut primum de his, quae ad grammaticam, deinde quae ad rhetoricam pertinent, agamus. Atque in priore parte distribuenda Draegeri Syntaxim historicam ling. lat. ita secuti sumus, ut ea silentio praetereamus, quae aut omnium usu frequententur, aut nullo Flori testimonio confirmari possint, omnesque aliorum scriptorum locos omittamus, qui jam apud illum leguntur.

Pars prima. De Partibus Orationibus.

I. De Substantivis.

Singularem pro plurali numero positum ut jam apud Livium aliosque, reperimus, cum vel populus vel exercitus aliusve hominum numerus tamquam unius speciem induit. Sic Romanus 1, 13, 6; 2, 13, 1; 4, 12, 20. 'ut Romanus ita Poenus' 2, 2, 3; Macedo 2, 14, 2; Cilix 3, 6, 7; Germanus 3, 10, 14; eques 2, 6, 24; miles 2, 18, 10; 4, 2, 50; hostis 3, 2, 2; barbarus 3, 3, 14. Singularia composita cum pluralibus 1, 18, 27 'Molossi, Thessali, Macedones, Brittius, Apulus adque Lucanus.' Hic transmarinae gentes plurali numero, Italicae singulari distinguuntur varietatis causa ut apud Livium 27, 2; 35, 40. cf. Draeg. I. p. 4.

Rarus apud poetas, rarissimus apud prosae scriptores est singularis, qui legitur 2, 6, 50 'ab Alpe.'

Pluralis numerus persaepe singularis locum obtinet, qui usus in quibusdam verbis frequentissimus, maxime apud poëtas, in aliis rarior. E verbis concretis, quae dicuntur, eius generis haec reperimus: Portae 1, 1, 12; foci 1, 10, 5; 1, 18, 4; Drepana 2, 2, 12; 'praedae' 2, 2, 32; equitatus 2, 6, 56; 3, 11, 8 (Dubia est lectio loci qui est 3, 20, 7: Bamb. 'parantur equitatus', reliqui 'paratur'); terrae 2, 7, 8; aquae 3, 3, 6; theatra 4, 2, 8; maria 4, 2, 59; 4, 11, 7; 4, 12, 49. Abstracta autem sunt: Angustiae (valli) 1, 1, 8; foedera 1, 10, 2; naufragia 1, 13, 9; tirocinia militum 2, 3, 3; metus 2, 6, 43; 'otia et luxus' 2, 8, 8; incendia 2, 18, 8; necessitates 2, 18, 12; animi 3, 5, 3; commercia 3, 6, 1; felicitates 3, 12, 7; discrimina 4, 8, 3. cf. Dr. p. 5—21.

Abstracta pro concretis posita sunt: Matrimonia = uxores 1, 1, 10; decemviratus = decemviri 1, 24, 1; dominatio = domini 1, 24, 3 (Tac. A. 13, 1); 2, 2, 17 bellum = bellantes 2, 2, 17 ('in Africam navigabat bellum'); naufragium = navium fragmenta 2, 2, 36; 'ventorum violentia coorta est' = venti violenti 2, 6, 45; 'reverentior captae majestatis' = regis 2, 12, 10; partus = infantes 3, 4, 2; dilectus = delecti, conscripti milites 4, 2, 5; 'in aureae loricae honore' = in splendida lorica aurea 4, 2, 60.

Concreta abstractorum vice fungi nobis saepe videntur maxime cum participiis conjuncta e. g. 2, 2, 7 'velocitas classis comparatae' 2, 2, 11 'leve damnum fuit alter consulum interceptus' 2, 3, 1; argumentum cessantium armorum' 2, 6, 2; 'urebat... mare ablatum, raptae insulae.' Sed 2, 6, 42 'Capua... cuius amissio... dolorem dedit.'

II. De Adjectivis.

In comparatione numeri eorum insueta extant non multa. Rarus certe est comparativus pleonastice formatus 4, 2, 47 'minus admirabilior;' cuius similia Dukerus laudat ad h. l. Auct. bell. Afr. 54 'magis studiosiores;' Iust. 12, 11 'magis gratius.' Cels. de Med. 6, 6, 29 'minus expeditior.' Cuius rei neque Dr. neque Neue mentionem faciunt.

Superlativi rariores hi leguntur: incitatissimus 1, 1, 6; quae forma praeterea semel est apud Cic. fam. 10, 32 (Dr. p. 33); diversissimus 2, 6, 51 (Neue II. 128); ardentissimus 4, 2, 42 (Dr. p. 28); piissimus 4, 7, 15 (Neue II. 113).

Adjectivorum pro substantivis positorum ingens est numerus, maxime generis neutrius, qua in re hic et suae aetatis et superiorum inde a Livio consuetudinem sequitur.

Homines significant: Raptae 1, 1, 14; ex purpuratis 1, 10, 5; interemptos ... captivosque 1, 13, 15; finitimi 1, 13, 19; aemula 2, 15, 5; vaticinanti similis 2, 17, 14; missos 3, 1, 5; fugientis 3, 10, 4; proximi 3, 15, 5; 4, 7, 13; 4, 12, 47; posteri 3, 17, 2; 4, 2, 33; fanaticus 3, 19, 10; potentes 4, 2, 9; classici 4, 2, 60; caesi 4, 6, 5. Dr. p. 44—51. Multo frequentiora sunt adjectiva generis neutrius in modum substantivorum usurpata, quae numero et casu distribuimus omissis tamen quae cum genetivis conjuncta sunt de quibus infra dicemus. Singularis numeri nominativus est: illud egregium ipsius ducis 3, 10, 4. Accusativi sunt: quiddam indomitum 1, 22, 1; medium 2, 15, 5; verum 3, 18, 1, et cum praepositionibus: in diversum 2, 6, 20; in medium 2, 6, 23; in publicum 2, 6, 25; semel in perpetuum 2, 12, 2; semel et in perpetuum 3, 6, 7; in posterum 3, 6, 14; ad ultimum 4, 7, 15; in altum 4, 11, 8. Dativus extare non videtur. Genetivi sunt: nullius acrior custos 1, 26, 5; ex constituti fide 4, 7, 14. Ablativi sunt: de alio 2, 15, 4; 'nullo magis exprimi potest' 3, 10, 13; interrupto medio 4, 8, 6. Cum praepositionibus: in proximo 1, 1, 9; 2, 2, 2; in medio 1, 17, 3; 4, 2, 69; in solido 2, 2, 9; a medio 3, 2, 2; in plano 4, 12, 60. Pluralia sunt nominativo casu: pleraque 2, 6, 41; insignia 3, 10, 4; imminentia destinatae cladis 4, 7, 6. (Sed lectio incerta). Accusativo: media 1, 13, 5; 'omnia circa quasi hostilia' 1, 18, 12 illa invia 2, 12, 5; extrema 2, 15, 8; coepta 3, 14, 6; promissa 3, 17, 9; justa 4, 2, 60; deserta et avia 4, 2, 86; vicina 4, 12, 18. Cum praepositionibus: in diversa 2, 6, 31; per abrupta 2, 7, 10; ob haec tot prospera 4, 8, 3. Dativum non reperimus. Genetivo: nimiam prosperorum continuationem 4, 8, 3. Ablativo: partis contenti 3, 23, 8; omnibus terra marique peragratis 3, 10, 16; omnibus potiorem 4, 2, 25; ordinatis omnibus 4, 2, 36. Cum praepositionibus: de extremis 4, 2, 83. In quibusdam adjectivis substantiva omissa simul audienda sunt. Ex his apud Florum leguntur: in profluentem (aquam) 1, 1, 2; 4, 12, 9; Feretrius (Jupiter) 1, 12, 9; curules (sellae) 1, 13, 14; 1, 26, 2 duarum (filiarum); opima (spolia) 2, 4, 4; rubrum et Caspium (mare) 3, 5, 31; Latinarum (feriarum) 3, 18, 8; sub meridiano (circulo) 4, 12, 40. cf. Dr. p. 59 seqq.

Interdum substantivis adjuncta sunt adjectiva, quorum loco substantiva genetivo casu posita expectes, cuius modi tamen exempla apud plerosque leguntur. Ita furiali more = more furiarum 1, 12, 7; lictoria virga 1, 26, 3; hosticus adventus 2, 2, 18 et hostica litora 3, 10, 17; consularis sententia 2, 7, 15; regius terror 3, 5, 8; humani cibi = humanae carnis 3, 5, 10; servilis inscriptio 3, 19, 8 i. e. belli servilis. (Similiter adverbium: 1, 23, 1 'quibus in terga quoque serviliter servientibus,' i. e. velut servorum). Caesariana potentia 4, 3, 2. Similiter Cic. Att. 6, 8 terrores Caesariani. Tac. An. 1, 6 novercalia odia; Hist. 2, 59 principalis paratus, qui loci a Boettchero Lex. Tac. laudantur. cf. etiam Caes. b. g. 1, 37 fraternum nomen populi Romani. Vell. 2, 92 consularis vindicta.

Adjectiva pro Adverbiis posita videntur 1, 9, 6 'prima adversus exteros arma corripuit,' item 1, 10, 1; et 2, 15, 3 'frequens Masinissa fines territabat'; 4, 2, 59 'subitus evasit.' Aliorum scriptorum exempla hand rara praesertim in adj. quod est *frequens.* Cic. Rosc. Am. 6; Tac. Agr. 27. Curt. 6, 5, 19 'laetiores virent trunci'; 8, 7, 7 'supremum ferrum stringere.' Multo frequentiora sunt apud poetas velut Verg. Geo. 3, 538; Aen. 8, 465; Hor. epod. 16, 51; sat. 1, 3, 117; 2, 6, 100; A. P. 269.

De substantivis in modum adjectivorum usurpatis v. infra.

III. De Pronominibus.

Is pronomen eiusque casus obliqui pro tertiae personae pronomine pers. satis raro ponuntur quasi usu obsoleta et parum sonantia; praeferuntur *hic* et *iste;* maxime vero *ille.* Etiam *ipse* Curtio aliisque usitatissimum nisi sensu proprio perraro legitur. Duos locos huiuscemodi invenimus: 3, 19, 7 'nec nominare ipsos pudebit'; 4, 8, 4 'invitante ipso;' — ubi tamen etiam solita significatione intellegi potest —; 4. 12, 28 'ipsi... senatus cognomen ex provincia dedit.' Ad augendam pronominis demonstr. vim adjectum videtur hoc loco: 4, 2, 68 'respondit hoc ipsum: bene se habet imperator.' — *Ipse* idem significat quod *solus* 2, 2, 17 'ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent'; 2, 8, 10 'ipso adventus sui nuntio coëgit ab insula fugere'. — Etiam *ille* bis pleonastice ponitur 2, 8, 6 'quod illud fuisset periculum si...;' 3, 4, 1 'Thraces rebellant, illi quondam tributarii Macedonum.' Huius modi locos apud poëtas tantum extare affirmat Dr. p. 84 ubi laudat Verg. Aen. 1, 3 'multum ille et terris jactatus et alto.' ibid. 5, 457. Geo. 3, 217. Similiter *hic* usurpatum 4, 12, 11 'Atinius Pollio... multaverat, hic secundus orator.'

Hic dolor pro *huius rei dolor* legitur 4, 2, 9, quod non infrequens apud alios. Singulari modo *ille* cum appositione conjunctum cum hac non congruit sed cum substantivo praecedente 2, 6, 38 'bellatricem illam... Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus.'

Amantissimus est hic pronominis possess. reflex. (*Suus*) pleonastice et rhetorice usurpati, quo aliquem sensum vel amoris et studii vel odii et contemptus exprimere conatur, ita ut *suum ethicum* ad speciem dativi ethici quem vocant recte dicere possis. Sunt autem in his locis complures ubi pron. posses non ad subjectum, ut debet pertinet, sed ad aliud enuntiationis membrum, quare eos ita ordinabimus ut Dr. p. 67 seqq. fecit.

a) Ad subjectum referenda: 2, 6, 55 '(populus R.) imitari coepit Annibalem et Italiae suae clades in Africa vindicare;' 2, 12, 4 '(Perses) Macedoniam suam armis ferroque vallaverat;' 3, 5, 21 'titulos gloriae Pompejo suo Fortuna quaerebat;' 3, 10, 15 'cum Rhenum suum sic ponte quasi jugo captum viderent.' Ironice dictum: 3, 17, 3 'equites... peculabantur suo jure rem publicam;' 4, 11, 11 (Cleopatra) juxta suum se collocavit Antonium. Semel etiam pron. I. pers. sic, usurpatur: 3, 10, 11 'quid ad illum, quid agat nostra Germania?' (verba Ariovisti.)

b) ad objectum vel attributum vel ad subjectum logicum, quod vocatur: 1, 12, 17 'cum jam obsidio sua barbaros fatigasset; 1, 18, 25 'eodem (Pyrrho)... in Graeciam suam... fugato'; 2, 6, 29 'reppulit in Campaniam suam (Annibalem);' 2, 6, 54 'populus

R. magni aestimabat hostem in sua Africa debellare; 55 et Italiae suae clades in Africa vindicare;' 2, 12, 9 'quem nec montes sui (defendere) potuissent'; 3, 4, 5 'Didius vagos ... intra suam reppulit Thraciam;' 3, 5, 10 '(Sulla) ingratissimos hominum ... sacris suis famaeque donavit;' 3, 5, 28 'muneravit ab Albania sua ... dona mittentem.' 3, 6, 5 'cum recisum Ciceronis caput in illis suis rostris videret.' Pro *ipsius* dictum: 2, 6, 26 'adversus hostem ... suis etiam pugnare consiliis oportebat;' 3, 1, 10 'Metellus ... qui hostem ... artibus suis adgressus est;'

c) ad ablativum absolutum: 1, 18, 25 'eodem ... in Graeciam suam fugato'.

Semel *eorum* pro *suam* evitandae ambiguitatis causa positum 1, 13, 13. 1, 13, 13 'Iuventus ... obtestata ... Jovem, ut ... ille virtutem eorum numine suo tueretur'. Simul hic constructio ad sensum, quae dicitur, inest, cum *eorum* ad *juventus* i. e. *juvenes* pertineat, cf. Dr. p. 73. Insolentius indefinitum cum relativo conjunctum 1, 22, 1' quae inerat quaedam adhuc ex pastoribus feritas'.

Qui, quae, quod, pron. interr. rhetorice in exclamationibus admirationem exprimentibus dicuntur, ubi *quantus* expectes velut 2, 2, 10 'cuius quod gaudium fuit!'; 2, 6, 56 'quas ille ... Hadrubalis copias fuit, quos Syphacis ... equitatus, quae quantaque ... castra ... delevit!' Sed hoc ultimum 'quae quantaque' docet *quae* non pro *quanta* dici sed mere rhetoricam figuram esse.

Uterque plurali numero legitur 3, 5, 21 'utraeque Armeniae.' cf. Caes. b. g. 1,53. Nep. Tim. 2.

In numeralibus nihil adnotandum invenimus nisi id quod Dr. p. 109 laudat e Floro 1, 1, 4 'bis septima subole regnabat', exemplum rarum numeri ordinalis multiplicatione effecti. Sed eam lectionem, quae in codicibus non est, — qui *bis* omittunt — conjectura tantum Camertis niti Salmasius docet.

IV. De Adverbiis.

Unum adverbium, quod alibi nusquam repertum est nisi apud Gajum dig. 18, 1, 35. § 7 apud hunc ter legitur: *Insemel* i. e. simul, Prooem. 3; 1, 20, 1; 1, 35, 1.

Persaepe *hic* adv. ponitur in narratione, ubi *tum* et *ib* expectes praesertim initio sententiarum. Ita 2, 8, 7, 9; 3, 10, 21; 3, 19, 3; 3, 21, 13; 4, 5, 3 cet., qui usus jam apud priores haud infrequens. cf. Cic. Verr. 1, 8, 23; 3, 28, 69; Acad. 2, 4 10; Verg. Aen. 2, 386; Curt. 4, 3, 7; 4, 6, 13; 4, 10, 21. *Hic* pro *hoc* vel *ea re* est 4, 2 90 'nemo caesus praeter . . . parvulos ex Sulla (hic posteris cavebatur).' Item *hinc* pro *illinc* 4, 12, 49 et *etiamnunc* pro *etiamtum* 4, 12, 41. Pro pronomine demonstr. est Prooem. 7: 'Hic jam ipsa juventus imperii.' Causa est eadem quae praesentis historici, quod respraesentationem, quam dicunt, rerum praeteritorum omnes scriptores, maxime autem qui Flori similes sunt, admodum amant. Interdum etiam dubium videtur, utrum *hic* pro pron. demonstr. an pro adverbio accipiendum sit: 4, 2, 90 'Hic aliquando finis armorum fuit;' 4, 10 3 'et hic statim quasi victor sequebatur.'

Interim pro *interdum* est 1, 26, 6 'cum... interim perniciosi cives existerent.' Item Sen. de ira 1, 16; Consola ad Helv. 16, 11, 12. Plura v. apud Duker. p. 925.

Hinc idem valet quod *propterea* 2, 6, 2 'hinc ultionem puer Annibal... juraverat.' Similiter *unde* usurpatur pro *quomodo* vel *qua de causa.* 3, 12, 8 'unde populus R. a tribunis agros... flagitaret..., unde judiciariis legibus divulsus ab senatu eques...?' 3, 13, 7 'reduci plebs in agros unde poterat cet.' Alia huiusmodi exempla reperire non potuimus.

Sic frequenter positum est pro *igitur* vel *quamobrem* maxime initio enuntiatorum. 2, 9, 3 'memineramus auxilii: sic placuit ignoscere.' 3, 3, 4, (et sic); 3, 6, 7; 4, 2, 11 (sic igitur) 4, 2, 27; 4, 12, 60;

Sic pro *inde* 4, 2, 85 'quanta fuerit... ira... sic aestimari potest quod cet.'

Dum taxat idem quod *saltem* 4, 12, 61 'Omnibus... pacatis gentibus, ad septentrionem quoque, dum taxat intra Rhenum atque Danuvium...;' *Admodum* idem quod *adhuc* 2, 6, 10 'praetextatus admodum filius.' Cumulationem adverbiorum ut aliorum verborum satis crebram esse in huius dicendi genere nihil est quod miremur. Reperitur autem his locis: Prooem. 3 'pariter atque insemel'; et similiter 2, 17, 2 'simul pariter' 2, 2, 18 'mox deinde;' 2, 2, 6 'statim ac sine mora'; 2, 3, 1 'deinceps statim ac sine mora'; 2, 8, 12 'statim et e vestigio'; 2, 10, 3 'vix et aegre'; 4, 1, 7 palam ac professe'.

Cum verbis pleonastice poni videntur 1, 3, 9 'redisse rursus'; 4, 10, 7 'bene valete'.

Adverbia verbis adjecta sunt, ubi verbum compositum expectes: 3, 23, 7 'retro pulsus' = repulsus; 4, 10, 5 'retro irent' = redirent; 4, 10, 1 'rursus integrare' = redintegrare.

Adverbia pro attributo cum nominibus sunt: 1, 3, 3 'trigeminis hinc atque inde fratribus'; 4 'tribus illinc volneratis, hinc duobus occisis'; 1, 18, 12, 'omnia circa' 2, 6, 58 'duo omnium et antea et postea ducum maxime duces. Saepissime etiam *quasi* et *velut* cum substantivis conjuncta leguntur velut Prooem. 3 'in brevi quasi tabella'; 5 'quasi robusta maturitas'; 1, 4, 2 'illo velut maritimo urbis hospitio'; 1, 18, 1 'una veluti ruina'. His locis adverbium non ad adjectivum solum sed ad totam locutionem pertinet. Cum substantivo solo: 1, 11, 4 'plane quasi stipendium'; 1, 18, 22 'quasi luxuriam'; 1, 22, 1 'quasi adulescentia'. Alia huiusmodi sunt 2, 2, 19, 34; 2, 8, 11; 2, 14, 11; 2, 17, 7; 3, 3, 3. — cf. Dr. p. 131.

V. De Verbis.

Pauca quaedam de formis verborum adnotanda existimamus, reliqua ad ea quae de temporum et modorum usu dicenda erunt, relegantes.

Pleniores formae perf. act. leguntur 1, 13, 17 redivit; 3, 1, 11 'adivit' — si codicibus fides habenda —, sed 'rediit' 3, 7, 8; 3, 21, 10 et alibi semper. Item primae conjug. III. pers. perf. ind. act. pleniores formas in -averunt vel -avere, et plusquamp. ind. in -averam et -everam vel -overam desinentes ostendunt exceptis duobus locis: 1, 2, 4 'occuparat' et 1, 5. 4 'agitaram', quae tamen eo ipso suspectae fiunt. Sed pro -iveram semper -ieram scribit. Etiam in conj. plusq. et inf. perf. act. omnium conjugationum

semper formis contractis utitur velut 1, 8, 6 'nosset'; 1, 11, 15 'festinasse'; 1, 13, 17 fatigasset; 2, 6, 19 'scisset' et sic 2, 6, 8; 2, 11, 6; 2, 13, 2; 2, 15, 3; 3, 1, 5.

'Procucurrissent' extat 2, 18, 8, sed 4, 2, 82 'procurrit' et 4, 12, 22 'percurrit.' Unicum est 'percecidit' 4, 12, 7 a percaedendo, quod alias nusquam legitur nisi quod eadem forma est in cod. Naz. 3, 20 10 quam tamen Halmius et Jahnius aspernati sunt. — Simplicia pro compositis (Dr. p. 136) hand raro ad augendam orationis vim usurpantur. 1, 1, 4 'pulso' = depulso; 1, 16, 10 'mitteret' = dimitteret; 1, 17, 10 'terruit' = deterruit; 1, 24, 1 'lecti' = delecti (2, 2, 13); 2, 6, 3 'poscitur' = exposcitur; 2, 11, 3 'sederunt' = consederunt; 2, 15, 17 'misit' = demisit; 2, 17, 5 'cessisset' = concessisset (3, 1, 3); 3, 20, 13 'clusi' = inclusi (1, 16, 10; 'cludere' 4, 12, 64, sed 'clausa' 2, 3, 1); 4, 9, 7; 4, 11. 5 pensare = compensare.

Verbum intransitivum sensu transitivo usurpatur 4, 12, 43 'Armenios... Pompejus adsueverat'. Georg. Lex. praeterea laudat Hor. sat. 2, 2, 109; Vell. 2, 79, 1; Lucan. 5, 776; Stat. Theb. 4, 6, 55. cf. Dr. p. 141.

Reflexiva reperimus haec: 2, 6, 9 'se movit'; 3, 1, 4 'se convertisset' (sed 2, 6, 42 'converteretur'); 3, 6, 6 'terra se continere'; 3, 10, 6; 3, 15, 5 'se recipere'; 3, 18, 7 'se regere' 3, 21, 32 'se vindicant' (sed 3, 20, 3 'vindicari volebant'; 3, 21, 19 'Sulla de Mario vindicaretur'); 4, 2, 7 'se satiaret'; 4, 2, 68 'se habere'; 4, 7, 8 'se obtulit'.

Pars altera. De Enuntiatis simplicibus.

I. De Praedicati cum Subjecto congruentia.

In hac re Florus intra optimorum scriptorum consuetudinem fere se continet. Constructionis ad sensum, quae dicitur, in numero praedicati unum exemplum extat, quod laudat Dr. p. 174: 4, 12, 50 'seque pars maior a captivitate vindicaverunt'. Unum etiam in genere: 2, 11, 3 'reliquiae Gallorum . . . orientem secuti in media parte Asiae sederunt.' Vitiosum recte ab eodem appellatur, quod est 3, 3, 18 'Tigurinorum manus... in diversa lapsi fuga ignobili et latrociniis evanuit.'

Pluribus subjectis idem, sed separatim facientibus, praedicatum in singulari numero plerumque ponitur teste Dr. p. 175 sed pluralis est 2, 6, 60 'hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu praedicaverunt.' Et similiter 4, 1, 10 'Caesar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebant.'

Alioquin plura subjecta pluralis praedicati sequi solet, paucis locis exceptis, ubi cum ultimo congruit: 2, 6, 15 'in excidium infelicis exercitus dux, terra, caelum, dies, tota rerum natura consensit'; 4, 12, 27 'ut mutati homines, alia terra, caelum ipsum mitius molliusque solito videretur'.

Similiter in pronomine relativo: 3, 3, 5 'rabies et impetus, quem pro virtute barbari habent'; 3, 5, 18 'spargi aurum et pecuniam jussit, qua sequentes moraretur.'

Subjectum, quod est pronomen, cum substantivo praedicati locum obtinente, ut solet congruit: 3, 19, 2 'hic tumultus fuit'. Sed 1, 12, 11 'hoc tunc Vei fuere', ubi *Vei* subjectum, sicut 1, 12, 8 'Vei quanta res fuerit', ubi tamen verbum cum praedicato propiore

convenit; Cf. etiam 1, 18, 3 'theatrum quod ... causa fuit'. — Praedicatum adverbium est: 2, 2, 8 'longe illis nauticae artes', quod Dr. p. 194 non recte explicat: 'lagen ihnen fern', cum idem valeat quod 2, 6, 34 'longe illi triplex murus' i. e. nihil profuit, sicut Caes. b. g. 1, 36 'longe illis fraternum nomen populi R. afuturum'.

II. De Ellipsi Praedicati.

Praedicati ellipsi frequenter utitur Florus praesertim vocabulorum *est, fuit, esse,* cum vel pro copula sunt vel ad participia pertinent, quamquam non saepius Livio, rarius quam Tacitus. Ita 1, 1, 10, 12. 13; 3, 11, 15 et alibi saepe. Sed etiam aliae illius verbi formae nonnunquam intercidunt:

Esset: 1, 10, 6 'cum interim hic interritus, ille trepidaret'; 1, 18, 5 'qui enim aut unde Romani?

Fuisset: 3, 3, 13 'si statim infesto agmine urbem petisset, grande discrimen'.

Fore: 1, 7, 9 'si quidem firma omnia et aeterna pollicebantur.'

Alia verba desunt his locis: *Adfuit* 1, 1, 9 'hunc asylum fecit et statim mira vis hominum'.

Interfuit 4, 2, 66 'nihil inter Pharsaliam et Thapson'.

Oriendi verbum saepe omittitur post *inde, hinc, illinc, unde:* 1, 1, 13 'hinc templum et Jupiter Stator'; 1, 3, 7 'spes inde nostris, metus hostibus'; 1, 13, 6 'inde certamen'; 1, 18, 5 'hinc bellum'; 3, 12, 12 'inde Mariana, inde Sullana tempestas'; 13 'aut magnificus apparatus ... non ab opulentia'?; 4, 2, 61 'In Asia quoque novus rerum motus a Ponto'.

Mansit: 1, 3, 6 nec diu in fide Albanus.

Regnavit: 1, 4, 1 'Ancus deinde Marcius'.

Profectus est: 3, 6, 12 'ipse Pompejus in originem fontemque belli Ciliciam'; 3, 10 18 'reversus igitur in Galliam, in eundem rursus Oceanum eosdemque rursus Brittannos.'

Gesserunt: 1, 18, 21 'Quid (sic Naz., Bamb. Qui) porro ipsi duces'?

Se gessit 2, 15, 17 'Quanto fortius femina et uxor ducis!' 3, 2, 1 'Sic ad meridiem populus Romanus'.

Gestum est (gesta sunt): 3, 1, 1 'Haec ad orientem'; 3, 19, 1 'Id qualitercunque'; 3, 10, 4 'hic cum multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ducis'; 3, 12, 1 'Hic finis armorum civilium; reliqua adversus exteras gentes.'

Actus est: 4, 2, 67 'statim exercitus in fugam, nec duces fortius (*egerunt*) quam ut effugerent'.

Actum est: 4; 2, 64 'Sic cum exteris'.

Faceret: 4, 2, 29 'quid una post quinque legiones'?

Pugnavit: 1, 17, 1 'Hactenus populus R. cum singulis gentibus, mox acervatim'.

Evenere: 4, 2, 25 'omnia retrorsum'. *Eveniat* intellegendum videtur in acclamatione 3, 3, 20 'victoriae Cimbricae feliciter'!

Accidit: 3, 19, 7 'Quid? illud quoque ultimum dedecus belli, capta sunt castra praetorum'.

Attinet: 3, 10, 11 'Quid ad illum, quid agat nostra Germania'?

Subegit: 2, 17, 11 'Lucullus Turdulos ... de quibus ille Scipio ... opima rettulerat.'

Plura vocabula e superiori enuntiato subaudienda 3, 17, 3 'Nec immerito'; et 4, 11, 9 'Frustra'.

III. De Temporibus et Modis.

Praesenti historico hunc admodum indulgere mentione vix eget nec magis illud perfecto continuo variari. Exempla afferre non opus est.

Temporum consecutionis leges in universum quidem accurate observavit. In quo notatu dignum videtur praesenti historico ab eo semper conjunctivum imperf. et plusquamp. subici, cuius rei exceptionem non reperimus. Cf. 1, 3, 4 'ut distraheret hostem, simulat fugam'; 1, 3, 7 'tollit animos, quasi mandasset'; 1, 13, 4 'urbem primo trepidi, ne quis subesset dolus, invadunt', et sic semper.

In enuntiatis consecutivis, qui vocantur, etiam cum aliquid praeteritum narratur, non minus frequenter perfecti conj. legitur quam imperfecti. In utroque hic saepe magis aurem secutus esse videtur quam alias rationes; nonnunquam tamen rem praeteritam ad praesens tempus referri apparet. Cf. 1, 11, 4 'ea denique atrocitas proelii fuit, ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit' (i. e, adhuc extet); 1, 12, 1 'adeo ut extraordinariam manum adversus eos promiserit privatumque gesserit bellum'. 1, 18, 7 'pugna ... tam atrox fuit ut ... 'turbaverit coegeritque'; 2, 12, 6 'tanta trepidatio fuit ut pecuniam in mare jusserit mergi, ne periret'; utrumque tempus simul legitur 2, 12, 8 cuius adventus ipse adeo terribilis regi fuit, ut ... non auderet sed ... mandaverit'. Similiter cum sententia finali: 2, 3, 5 'ita exarmavit, ut vix ferrum reliquerit, quo terra coleretur'. Alia huiusmodi cum conjunctivo perf. 2, 6, 21; 2, 17, 3; 3, 3, 9; 4, 2, 29; 4, 12, 24. 58; cum conj. imperf. 1, 11, 9; 4, 12, 27; 34. Interdum etiam praesens positum est, cum res consequens hoc ipso tempore fieri significatur. Ita 1, 13, 18 'quid egit aliud quam ut ... lustrata videatur'; 19 'sic persecutus est, ut hodie nulla Senonum vestigia supersint'; 1, 16, 8 'ita diruit, ut hodie ... requiratur nec facile appareat'.

Ex reliquis eius modi enuntiationibus paucas tantum reperimus quorum tempora mentione digna videantur. Enunciata finalia notabilia sunt: 2, 15, 16 'triginta sex milia virorum se dediderunt, quo minus credas, duce Hasdrubale'. Hic legentes alloquitur auctor, unde praesens. Simillimum est '2, 6, 48 'nec sector inventus est, ut scias etiam praesagia fatis adfuisse'. Diversi generis sunt locutiones quales 1, 11, 11; 2, 6. 27 ut ita dixerim' i. e. dicam, quippe quae ad verborum, quae leguntur, usum, non ad res narratas pertineant. — In enunciatis causalibus conj. perf. insolentius ponitur 2, 2, 20 'cum monstris quoque dimicatum est, cum ... serpens ... castra vexaverit'; 3, 5, 2 'quippe cum quatuor Pyrrho ... suffecerint, ille per quadraginta annos restitit'; 3, 20, 2

'cum servi militaverint, gladiatores imperaverint, ... auxere calamitatem Romanam'. — In concessivis idem conjunctivi tempus est: 2, 2, 14 'Leonidae famam adaequavit ... licet nihil inscripserit sanguine'; 3, 2, 6 'hinc aestimari potest, quod ... tropaea fixerunt, cum hic mos inusitatus fuerit nostris'; 3, 19, 12 'ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis vivus in manus venerit.' — Interrogationes indirectae eodem tempore sunt: 3, 22, 1 'hostile potius an civile dixerim (i. e. dicam) nescio'; 4, 1, 11 'quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit.' cf. Dr. p. 260 seqq. De modo enuntiatorum secundariorum alio loco dicemus.

Plusquamperfectum indic. quibusdam locis legitur, ubi perfectum expectes, velut 1, 16, 10 'Pontius Herennium patrem consuluit. Ille mitteret omnes vel occideret suaserat; hic ... mittere sub jugam maluit'. Hic plusquamperfectum respectu sequentis verbi 'maluit' positum idemque ferme est, ac si dicat: 'quamquam ille suaserat, hic maluit.' Similis est ratio loci qui est 1, 3, 1 'flentem ... sororem viderat. Hunc immaturum amorem ultus est ferro'. Aliad huius modi sunt: 3, 22, 6 'Additus Metello Gneus Pompejus. Hi copias attriverant viri'.

Perfectum et imperfectum plusquamperfecti vice fungi videntur: 1, 18, 13 'ac sic eaedem ferae quae primam victoriam abstulerunt, secundam parem fecerunt, tertiam sine controversia tradiderunt'; 2, 15, 17 'quae se ... in medium misit incendium, imitata reginam, quae Carthaginem condidit'.; 2, 18, 17 'praeda ut de pauperrimis, nulla: arma ipsi cremaverunt'; 4, 2, 70 (post pugnam apud Thapson commissam et Scipionis mortem) 'Cato non interfuit bello'; 4, 2, 65 'nec degenerabat ducum successio'.

Perfecta passivi et deponentium per *fui* et *fueram* formata leguntur: 2, 2, 7 'caesa silva fuerat'; 2, 8, 6 'si ... usus fuisset'; 3, 3, 6 'minati fuerant'; 3, 21, 12 'expulsus fuerat'; 4, 12, 50 'captum fuit'. cf. Dr. p. 276.

Imperfectum de conatu, quod dicunt, extat 1, 10, 1 'Porsenna ... Tarquinios manu reducebat'; 3, 15, 13 'rex ... quia amiserat, quasi raptam belli jure repetebat'; 14 'in Asiam rursus mari terra fluminibusque veniebat'.

Futuri usus tribus locis a communi ratione discrepat: Prooem. 5 ubi de aetatibus populi Romani sermo est: 'haec erit eius infantia'. Hic futurum haud dubie ad ea quae narraturus est, spectat. 2, 6, 11 'Hic erit Scipio qui in exitium Africae crescit.' quod manifesto e Liv. 21, 46 sumptum ('hic erit juvenis') ... qui rhetorice in praeteritum tempus ita se transfert, ut quasi vaticinantem se fingat. Diversa est ratio huius loci: 2, 6, 19 'dubium deinde non erit, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma si cet'. i. e. 'Quare nemo, puto, haec legens dubitabit quin cet'.

Conjunctivus plusquamp. legitur, ubi grammaticae leges indicativum imperf. poscunt 3, 19, 7 'qui per fugitivarios retrahi debuissent, praetorios duces ... ipsi sequebantur.'

Conjunctivi potentialis, qui vocatur, insententiis principalibus usurpati satis multa exempla occurrunt, sed nihil fere quod a communi usu discrepet. Praesentis conj. haec sunt: 1, 11, 6 'Cora — quis credat? — et Alsium terrori fuerunt'; (sed 1, 13, 15 'sex mensibus barbari — quis crederet? — circa montem unum pependerunt.'); 1, 18, 24 'quid

adeo fidem superet'; 3, 6, 15 'quid prius in hoc mirere victoria'?; 3, 8, 5 'certos esse, quis miretur ictus'; 3, 19, 2 'quis aequo animo ferat ... bella servorum'?; 2, 16, 6 'quantas opes cremaverit hinc scias quod ...'; 2, 6, 38 'nescias citius an felicius'; 2, 20, 1 'Enimvero et servilium armorum dedecus feras'; 3, 8, 2 'homines feros ... mireris'; 3, 21, 27 possis singulorum hominum ferre poenas'.

Perfecti conj. legitur: Prooem. 6 'ideo quis adulescentiam dixerit'; 1, 26, 5 'principem populum non immerito suspexeris'; 3, 10, 16 'nemo tantum feroces dixerit Gallos'; 3, 12, 16 'deos audisse crediderim'.

Imperfecti conj. praeter locum jam laudatum in eadem locutione est 2, 6, 22 'quis crederet?;' idem legitur 3, 1, 1; 3, 3, 11; 3, 5, 10; 3, 19, 2; 4, 4, 4. praeterea 1, 19, 1 'quid enim post Tarentum moliri auderent?; 4, 2, 64 'nec reliquias diceres sed integrum bellum'. cf. Dr. p. 148 seqq.

Infinitivus historicus reperitur his locis: 3, 17, 4 'equitem Servilius Caepio, senatum Livius Drusus adserere'; 9 'et pretium rogationis statim socii flagitare'; 4, 2, 9 'Metellus ... detrectare Pompejo actisque eius obstrepere'; 17 'ille contra flagitare decreta'; 38 'Caesar ... ostentare aciem, provocare, lacessere'; 42 'Pompejus ... nectere moras, tergiversari, hostem ... terere'; 82 'ibi prensare fugientis, confirmare signiferos, orare, hortari, increpare, per totum agmen ... volitare'; 4, 4, 2 'ipse ... lacerare furtis hereditatem, ipsum insectari probris ... cooptationem ... inhibere, denique ... arma moliri'.

IV. De Casibus.

Accusativi usus inusitati nihil habet praeter paucos locos: 3, 20, 3 'erupere Capuani', ubi *erumpere* cum accusativo conjunctum est in speciem verborum evadendi et effugiendi velut 2, 11, 6 'custodiam evasit'; 3, 21, 7 'arcem Capitolii, quae Gallos ... evaserat'; 1, 10, 7 'elapsa custodiam' (sic Naz. recte, ni fallor.) Duo tantum loci plane similes extare videntur: Verg. Aen. I, 580 'jam dudum erumpere nubem ardebant', et Ulp. Dig. 29, 5, 3 'erumpere vincula'; nec absimile Verg. Aen. 3, 572 'prorumpit nubem'? Diversa autem est constructio huius verbi 3, 2, 2 'a dextris atque laevis et a medio septentrionis erupit'. — Eodem modo *irrumpere* cum acc. legitur 2, 12, 7 'cum alia minatus alia irrupisset', ut jam Caes. b. c. 1, 27; 2, 23 et Tacitus saepius (An. 1, 48; 2, 62; 6, 33) *Penetrare* insolentius cum acc. legitur: 2, 7, 10 'Chaonum montes penetravimus'; 3, 1, 14 'Mulucham urbem ... penetravit'; 3, 4, 6 'Volso Rhodopen Haemumque penetravit'; et passive 3, 10, I5 'nec semel Rhenus ... penetratus', i. e. trajectus, quod hoc sensu singulare videtur. Sed 3, 22, 2 'usque in Oceanum penetravit'. Ad priores locos confer Verg. Aen. 1, 243 'Illyricos penetrare sinus'; Suet. Caes. 52 'Aethiopia tenus Aegyptum penetravit'. et Vell. 2, 40 'Penetratae cum victoria Media, Albania, Iberia'; Tac. An. 15, 27 'iter L. Lucullo quondam penetratum'

Graeco qui vocatur accusativo Florus omnino abstinuit, nisi unum locum eo referre velis, 4, 11, 11 maximos induta cultus. Sic jam aureae aetatis poetae et Livius. cf. Dr. p. 363.

Expavescere cum acc. junctum 1, 26, 3 'quod sonum ignotum ... expaverat'.

Insidere cum acc. et dat. diverso sensu legitur 4, 7, 6 'eandem ... harenam insederant'; 7 'nam et signis insedit examen'. Priori simile 2, 6, 47 'ager quem Annibal castris insederat'. Item 2, 11, 5; 3, 21, 7.

'*Audentem* eruptiones' legitur 3, 10, 25., et 4, 2, 30 'Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa Fortuna est'.

Equitare flumen passive dicitur 3, 4, 5 'dum perfidum glacie flumen equitatur'. cf. Claud. bell. Get. 192 Sidon. carm. 23, 249.

Vastare contra intransitive usurpatum 3, 4, 5 'Minucius toto vastavit Hebro'.

Accusativus solus omissa *in* praep. frequens est in terrarum nominibus et majorum insularum: 2, 2, 15 'Sardiniam adnexamque Corsicam'; 2, 6, 21 'Campaniam'; 3, 10, 16 'Britanniam'; 3, 23, 7 'Etruriam, inde Sardiniam'.

Dativus genetivi locum tenere videtur: 1, 1, 4 'Alba tum erat Latio caput', eodem modo quo 1, 18, 10 'nec prius cladi finis fuit'; 4, 2, 90 'hic aliquando finis armis fuit'. Similiter Liv. 23, 10 'Brevi caput Italiae omni Capuam fore', et 10, 8; 43, 12. cf. Dr. p. 440.

Dativi commodi et incommodi exempla notabiliora sunt: 1, 1, 3 'infantibus matrem egit'; 1, 18, 3 'quod causa miserae civitati fuit omnium calamitatium'; 1, 18, 19 'Herculis semine, cui, (i. e. in quem) quasi ab angue Lernaeo tot caesa hostium capita renascuntur'; 2, 8, 5 'hostem populo R. quaerebat'; 3, 19, 4 'Syrus quidam nomine Eunus ... dum Syriae deae (i. e. in honorem) comas jactat'. 1. 16, 2 'bellum tamquam sibi gessit'; 4, 2, 23 'vinci eam sibi jussit'; 4, 9, 5 'hostibus sub specie auxilii sibi vincentibus. cf. Dr. p. 431.

Dativus finalis reperitur his locis: 1, 13, 18 'domicilio destinata civitas'; 1, 24, 2 'ut virginem stupro destinaret'; 1, 17, 3 'Ciminius saltus ... adeo tum terrori fuit'; 2, 11, 3 'nomen indicio est'; 3, 21, 26 'ludibrio habita fata'; 4, 2, 35 'sedem bello Epiron elegerat'; 4, 2, 43 'proelio sumpta Thessalia est'. cf. Dr. p. 437.

Dativus cum verbo passivo pro *ab* praep. legitur: 1, 7, 9 'molientibus aedem ... humanum repertum est caput'; nisi potius pro abl. absol. habendum sicut 3, 5, 16 et 4, 1, 10. — 2, 17, 12 'formidatum militibus flumen'; 4, 12, 54 'nec temere sumptus impetus'. cf. Dr. p. 428.

Dativus praedicati cum locutione impersonali conjunctus extat 3, 12, 6 'nescio an satius fuerit populo R. Sicilia ... contento fuisse aut his etiam ipsis carere dominanti in Italia sua'. cf. Dr. p. 435.

Dativus ad adjectiva pertinens est 3, 4, 2 'nihil ... residuum crudelitatis fuit in captivos saevientibus'. Difficilior est locus 2. 6, 35 'gens contumax vilisque mortis'. Sic Jahnii Halmiique editiones secundum Bamb., sed in Naz. legitur *morti*, quod et Dr. p. 447 laudat. 'Vilis mortis' genetivus qualitatis esset, magis tamen placet *morti*, quippe quod Flori similius esse videatur, quamquam locum plan ongruentem non reperimus. Similia tamen vide apud Dr. p. 446.

Cum verbis conjunctus est dativus plurimis locis, e quibus hi mentione digni videntur: 2, 8, 9 'cum aquae tibiis fidibusque concinerent'; 2, 9, 3 'aderant Aetolorum precibus Attici'; 2, 10, 2 'cum praedae incubarent'; 2, 12, 10 'cum ... nomen epistolae notaret suum' i. e. inscriberet; 3, 16, 2 'rogandis legibus incubuit'; 3, 11, 2 'Parthico inhiat auro'; 5 'regiis inhians thesauris'; 2, 15, 14 'portum quoque mari Romanus obstruxerat' i. e. aditum portus. Quod verbum cum acc. solo saepe, sed cum acc. et dat. praeter hunc locum nusquam conjunctum videtur, nisi quod passivum legitur apud Liv. 5, 1 'frons in Etruriam spectans auxiliis, si qua forte inde venirent, obstruebatur'. (Cum dat. solo Cic. de domo 115 et Brut. 66 'obstruere luminibus'.) 3, 6, 14 'maritimum genus ... mediterraneis agris quasi obligavit'; 3, 5, 2 'quippe cum quatuor Pyrrho tredecim anni Annibali suffecerint (i. e. ad superandum P. et A.), ille per quadraginta annos restitit'; 3, 21, 15 'se ludribio exemit'; 4, 7, 14 'non superesse bello'. — Singularis videtur dativus hoc loco: 4, 7, 11 'victoriam illi proelio error dedit, i. e. in illo proelio, nisi locus corruptus est. Nam Naz. *error* habet, quod Jahnius recepit, Bamb. *errore*, quem Halmius secutus est. Forsitan 'illo proelio error' legendum.

Genetivus partitivus sive totius satis frequens est apud hunc maxime cum neutris adjectivorum et pronominum positus: Prooem. 1 'tantum operum'; 1, 15, 3 'hominum'; 'agrorum'; 1, 17, 3 'periculi'; 3, 16, 1 'animorum' 4, 2, 44 'virium'; 3, 10, 14 'quantum pavoris'; 3, 21, 21 'funerum'; 4, 2, 74 'plurimum quantum favoris'. — 1, 1, 15 'ad subita belli' 2, 6, 41 'in diversa terrarum'; 3, 5, 27 'gentium'; 2, 17, 17 'ad extrema deditionis'; 2, 19, 1 'reliqua saeculi'; 4, 12, 51 'in maritimis Tarraconis'; — 2, 16, 6 quid signorum'; 3, 6, 11 'quidquid piratarum'; 3, 19, 6 'ne quid mali deesset' — Quod Dr. p. 451 e Floro laudat: 'ubi tamen loci', (4, 12, 57) nescimus unde haec sit lectio, cum Halmius et Jahnius 'ubi cum locis' legant, Bamb. ut videtur, secuti. Forte e Naz. est, qui 'loci' exhibet Jahnio teste.

Gen. plur. substantivi singulari eiusdem additus ad augendam vim: 2, 6, 35 'urbem urbium' i. e. caput; 4, 12, 13 'barbari barbarorum'.

Genetivi qualitatis haec tantum exempla laudamus 1, 26, 1 'Sulpicio patricii sanguinis dedit'; 3, 20, 2 'illi infimae sortis homines, hi pessumae'; 3 'eiusdem fortunae viris'; 4, 4, 2 'ipse (Antonius) plenae ex commilitio Caesaris dignitatis'; 4, 5, 2 'virilis militiae uxor'; 4, 12, 16; 'Comidius centurio satis barbarae efficacis tamen ... stoliditatis'.

Genetivus cum locorum nominibus, ubi appositionem expectes, reperitur 1, 11, 1 'lacus Regilli'; 2, 6, 34 'fons Arethusae' (nisi hic nymphae nomen intellegendum).

Graecismus videtur genetivus locorum vel gentium pro adjectivo positus: 1, 18, 7 'Heraclea Campaniae' (falso pro: Lucaniae); 2, 6, 40 'Hispaniae Carthago'; 3, 5, 29 'Libanum Syriae'; ('Damascus Syriae', Curt 3, 8, 12) 3, 10, 23 'Gergovia Arvernorum'. Dr. hunc usum non commemorat.

Ambiguus locus est 1, 18, 11 'Lucaniae suprema pugna fuit', ubi 'Lucaniae' utrum pro genetivo an dativo habendum sit, difficile est dijudicare, cum sensus discrimen paene nullum sit. Sed nobis quidem genetivus et latinae linguae indoli et huius scriptoris ingenio magis convenire videtur. Quod melius apparet, si pro regionis nomine hominis

positum cogitamus e. g. Scipionis suprema pugna fuit. Nam genetivum loci (vel potius locativum) esse Dukero vix crediderimus.

Genetivi cum adjectivis juncti rariora quaedam adjiciamus exempla: 3, 1, 12 'fugitivus regni'; 3, 22, 2 'profugus feralis illius tabulae', ut et Plin. et Tac. cf. Dr. p. 480. (Sed. 3, 21, 10 'profugus patria sua'; 4, 2, 85 'a proelio'; 86 'proelio profugum'); 3, 17, 9 'aegrum rerum motarum'. cui cf. Sall. Hist. fr. 4, 73 'aeger consilii.' Plura vide in Georg. Lexico s. v. 3, 19, 3 'frugum ferax' et 4, 12, 60 'chrysocollae miniique et aliorum colorum ferax'; ut jam Hor. Ov. Liv. alii; 4, 12 46 'immunes imperii'. Dr. p. 478. Singulare videtur quod est 3, 2, 4. 'Rhodanus impiger fluminum'. Non multum tamen differt Curt. 8, 9, 5 'omnium fluvius eximius'. Dubius item locus est 3, 21, 6 'inexplebilis honorum Marii fames'. Hic 'honorum' non minus recte ad 'inexplebilis' quam ad 'fames' referri potest. Draegerus p. 474 hoc facit, nobis tamen illud suadere videntur Liv. 28, 17 'vir inexplebilis virtutis veraeque laudis', et Sen. ad Helv 15, 1 'colloquia, quorum inexplebilis eram'.

Ablativus pro genetivo (vel potius locativo) positus est 3, 18 9 'Asculo furor omnis erupit', quod pro 'ex Asculo' dictum suspicari possis, nisi alii loci dissuaderent: 4, 2, 19 'prima Arimino signa cecinerunt' et 4, 8, 3 'centum bubus Peloro litavit', et aliorum exempla quae Dr. p. 519 laudat. — Frequentius nomina appellativa cum adjectivis eodem casu praepositione carent: 1, 13, 20 'Pomptino agro'; 1, 18, 11 'Arusinis campis'; 3, 3, 13 'quo tractu'; 3, 5, 18 'Pontico mari'; (sine attributo 2, 2, 7 'mari', sed plerumque 'in mari': 2, 2, 33. 37; 3, 5. 18); 3, 22, 2 'Balearicis insulis'; 4, 2, 31 'ille Illyrico, hic Curictico litore'; 4, 2, 52 'Pelusio litore'; 4, 12, 1 'diversis orbis oris'. Ita etiam *medius* adj. cum subst. ubi ter *in* omissum: 1, 9, 5; 3, 5, 23; 4, 2, 7, saepius tamen ponitur velut 1, 24, 1. 3; 1, 26, 7; 2, 6, 7; 2, 11, 3; 3, 1, 14. Cum genetivo compositus ablativus 1, 16, 3 'non modo Italiae sed toto orbe terrarum pulcherrima'. *Per* praepos. expectes 3, 22, 6 'prope tota Hispania persecutus est'.

Ablativus omissis praepositionibus *ab* vel *de* vel *ex* persaepe reperitur inprimis post verba cedendi, cadendi, pellendi, mittendi et similia. Ita 2, 2, 16 'terra et mari cedere' (idem 2, 8, 11); 4, 7, 9 'castris excedere'; 3. 12, 1 'Italia progredi'; 2, 15, 7 'migrare finibus'; 1. 13, 20 'moenibus expulisse'; 3, 5, 11 ,Euboea depulisset'; 3, 14, 3 'depulsam agris' (idem 4, 5, 2) 4, 2, 19 'pulsus Etruria'; 4, 7, 1 'regno depulisse'; 1, 17, 6' caelo jacerentur'. 2' 6, 9, 'caelo missa' (idem 2, 17, 14). Sed non infrequenter etiam praepositiones adduntur: 1, 13, 15 'a summa rupe dejecit'; 'ab arce jaculatus est'; 16 'ab arce dimisit'; 2, 8, 10 'ab insula fugere'; 2, 12, 4 a caelo venturis; 3, 14, 3 'cedere a foro'. Ad designandum temporis spatium ablativum pro accusativo ab argenteae aetatis scriptoribus saepissime usurpari notum est. Quam consuetudinem hic quoque ita secutus est, ut ablativus rarior sit quam accusativus. Prooem. 5 '(aetas) centum quinquaginta annis patet'; 1, 13, 15 'sex mensibus'; 2, 1, 2 'centum annis'; 2, 6, 6 'novem mensibus'; 2, 18, 16 'aetate tam longa'. Contra Prooem. 5 'per annos quadringentos'; 2, 15, 18 'per continuos decem et septem dies'; 3, 16, 3 'tertium anuum'; 3, 3, 14 'per omnem diem'; 3, 4, 2 'per id omne tempus'.

Ablativus modi tam late patet usu et forma, ut omnia vel etiam plurima exempla eius generis hic apponi non possint. Sine attributo ponitur 2, 2, 4 et 3, 13, 1 'specie ... re'; 2, 5, 3 'jure agentes'; 2, 17, 6 'rapta erat impetu Hispania'; 4, 2, 36 'tempestate ad bellum navigavit'; 4, 10, 2 'neque causa neque consilio ac ne imaginaria quidem belli indictione'; cum genetivo: 2, 6, 54 'Annibalem etiam ipsius confessione posse vinci'; 4, 11, 5 '(naves) adlevatae castellorum vel urbium specie ... ferebantur'. Ex reliquis haec memoranda ducimus: 1, 1, 14 'intervenere raptae laceris comis'; 1, 13, 5 'ingenti agmine profecti'; 2, 11, 6 'memorabili exemplo custodiam evasit'; 2, 16, 1 'quasi saeculum illud eversionibus urbium curreret'; 2, 17, 10 'cum ... Contrebiam cepisset memorabili exemplo et Nertobrigae majore gloria pepercisset'; 2, 18, 14 'sed hoc quoque ... uxores ademere, summo scelere per amorem'. 4, 1, 12 '(Catilina) inter hostium cadavera repertus est pulcherrima morte, si ...'

Ablativus qualitatis interdum ponitur, ubi *cum* praep. expectes: 1, 14, 1 'cum jus civitatis pari imperio et magistratu poscerent'; 1, 20 'Brundisium inclito portu'; 3, 1, 3 'hic Masinissa avo, Micipsa patre ... scelus mandat insidiis'.

Ablativum relationis sive limitationis nonnunquam non facile est discernere ab ablativo causae velut Prooem 6 'hoc fuit tempus viris armis incitatissimum'; 1, 13, 18 agere gratias ... ipso tantae cladis nomine libet; 1, 18, 1 'bellum Tarentinum, unum quidem titulo et nomine'; 1, 18, 10 'umero saucius'; 2, 7, 2, 'bellum nomine amplius quam spectatione gentis fuit'. 2, 18, 1 'virtutis nomine et honore par omnibus'; 4, 12, 42 'ambo fato breves'.

Ablativus causae quoque et frequentissimus est et sensu varius, ita ut aliquot exempla ex magno numero deligere satis habeamus. 1, 1, 7 'victor augurio'; 1, 7, 7 'quasi superbia sileret'; 1, 14, 1 'aemulatione imperii infestos'; 1, 16, 4 et 2, 6, 22 'tepentes fontibus Bajae'; 2, 8, 14 'cui frater aderat voluntaria legatione'; 2, 13, 1 'pecunia militaverant'; 2, 15, 4 'Cato inexpiabili odio delendam esse Carthaginem ... pronuntiabat'. 2, 17, 3 'ut ingenio situs ne adiri quidem potuerit'; 3, 18, 3 'quam in spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat'; 4, 2, 15 'Crussi morte ... morte Juliae statim aemulatio erupit', 4, 2, 32 'rates quales inopia navium fecerant'. (sed 4, 2, 37 'cum ... ob inopiam navium Brundisii moram faceret') — Diversi generis ablativi causae una leguntnr: 1, 13, 1 'Hic sive invidia deum sive fato ... imperii cursus parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur'; 4, 2, 60 'diversa per mare in terras fuga morte consumpti'. Sed prius illud etiam pro abl. absol. haberi potest.

Inter ablativos instrumenti numeramus cum Draegero 2, 18, 16 'maximo duce oppressa civitas', cuius rei plurima exempla ille profert p. 547, e quibus simillimum Liv. 23, 42 'nullo externo adjuti nec duce nec exercitu'. Huc referri potest etiam 2, 8, 15 'hic rex incredibile dictu quibus auxiliis, quibus copiis consederat'. cf. Dr. p. 547; 1, 6, 3 'populus ... decuriis adque collegiis distributus'; 2, 16, 3 '(Campania) bis floribus vernat'; 3, 5, 28 'iter tamquam in mari stellis secutus.'

Ablativus cum taxandi verbo extat 1, 12, 8 'taxata stipendio hiberna'; 2, 6, 18 dignitas equestris taxata mensura'. Simile est 3, 15. 6 'caput percussoribus auro repensatum'. Item aestimare (dum lectio vera) 2, 18, 1 'si vero aestimes'.

Distribuendi verbum cum abl. reperitur 1, 6, 3 'decuriis atque collegiis distributus', pro: 'in decurias'. Singulare est 3, 21, 28 'damnati morte', cuius ablativi unum exemplum reperimus Sen. Herc. Oet. 899 'morte damnari placet'. Alia verba insolentius cum abl. juncta sunt his locis: 3, 2, 9 'bibere cruento flumine'; 4, 1, 4 'pateris'; (Sed 3, 4, 2 'bibere in ossibus capitum'). 3, 14, 3 'ne populus ... laribus ac focis suis exularet.'

V. De Praepositionibus.

In praepositionum usu Florus et copiosus admodum est et varius, ita ut amplissimum usus earum conspectum praebeat.

a) Praepositiones cum accusativo junctae: *Ad* consilium et effectum significat: 1, 1, 15 'juventus ... ad subita belli excubaret'; quod hoc sensu usurpatum unicum videtur. (Simile tantum est Sen. ep. 102, 21 'excubare in actus alicuius'.) 1, 18, 3 'Ad prospectum maris positum theatrum'; 1, 23, 2 'efficax ad concordiam'; 2, 6, 47 'ad probandum'; 3, 13, 4' 'ad jus libertatis aequandae'; 2, 20, 7 'mixtis veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium'; 3, 10, 21 'ad jus pristinum libertatis erexit'. (cf. etiam *in* c. acc.) Idem valet quod *secundum* 1, 13, 5 'ad speciem'; 4, 2, 88 'ad simulacrum'. — Pro *circa* sive *respectu* positum est 4, 12, 7 'cunctanti ad adscensum militi'; pro *statim post* 2, 6, 5 'ad auditum obsidium'. 3, 10, 23 'ad nuntium rei'. Tempus etiam significat: 4, 1, 8 'ad praestitutum diem'; 3, 10, 23 'ad id tempus' i. e. eo usque; 4, 7, 15 'ad ultimum'.

Circa singulariter usurpatum 1, 3 5 'flentem spolia circa se sponsi ... sororem' i. e. sponsi sui. Sed 1, 10, 5 'frustrato circa purpuratum eius ictu', idem fere est quod: 'in purpurato'; Similia sunt 1, 18, 22 'cum decem pondo auri circa Rufinum ... damnaret;' 3, 19, 12 'circa adprehendendum eum ... contenditur'; 4, 2, 77 'circa obsidionem urbium discursum est'; 4, 12, 1 'districto circa mala sua imperio'.

Adverbium est: 1, 18, 12 'omnia circa'; 4, 12, 60 'circa enim omnis aurifera ... est'.

Per locum designat 1, 16, 12; 3, 18, 12 'per viam' i. e. in via. Tempus: 1, 17, 4 'per noctem'; 2, 8, 9; 3, 3, 11 'per hiemem'; 4, 2, 54 'per id tempus'. Causam vel instrumentum: 1, 10, 5 'per insidias'; 1, 13, 17 'per iusolentiam'; 1, 18, 5 'per obscenam contumeliam violant'; 2, 18, 15 'per amorem'; 2, 19, 4 'per rabiem et furorem'; 2, 20, 6 'per deditionem'; 3, 5, 23 'per errorem'; 3, 12, 8 'per famem'; 9 'per hoc'; 3, 17, 9 'per vim'; 3, 20, 1 'per fortunam'; 4, 12, 28 'non per adulationem'. Modum: 1, 18, 12 'per stragem suorum recurrens'; 2, 17, 2 'per vices'; 3, 21, 26 'ut per singula membra moreretur'.

Post non memoraremus, nisi Binsfeldius in Mus. Rhen. XXVI. p. 312 eius praep. usum quibusdam Flori locis Tertulliani Africanam latinitatem sapere suspicatus esset. Sunt autem hi: 1, 14, 9 'quid post Tarentum moliri auderent'? i. e. post Tarentum captum; 1, 23, 1 'post Carthaginem (i. e. victam) vinci neminem puduit'; 1, 36, 1 'quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum?'; 1, 36, 2 'et fuit in Jugurtha quod post Annibalem timeretur'; 1, 39, 1 'post Macedonas ... Thraces rebellant'; 2, 13, 29 'quid enim una post quinque legiones?' quibus addimus 4, 8, 9 'non alia post Xerxen mise-

rabilior fuga'. Sed eadem res etiam in aliis praepositionibus variisque locutionibus occurrit, cuius causa insigne illud brevitatis studium est, de quo supra diximus. Similem usum *in* praepositionis vide infra, praeterea cf. 2, 8, 13 'Epheso Salamina pensavimus;' 4, 2, 73 quanto Africa supra Thessaliam fuit, tanto Africam superabat Hispania; 4, 2, 66. 89.

Infra pro *minor quam:* 1, 3, 5 'facinus (Horatii) infra gloriam fuit'; 4, 11, 9 'pulchritudo infra pudicitiam principis fuit'.

Inter insolentius postpositum: 3, 6, 3 'Cretam inter adque Cyrenas'; 3, 10, 2 'Rhodanum inter et Rhenum'. cf. Neue II, 792.

Tempus significat 1, 6, 1 'inter mortem' idem quod 3, 16, 6 'in ipsa morte'; 3, 19 2 'inter initia urbis'.

Praeter pro *praeterquam* adverbio usurpatur 2, 6, 24 'praeter quod in bullis ... erat'. cf. Neue II, 783.

Citra idem quod *praeter* 3, 1, 2 'citra spem omnium fortuna cessit'. cf. Dr. p. 616.

Ultra postpositum Prooem. 1 'aetatem ultra'. Memorandum etiam videtur 2, 7, 9 '(volnera) ultra mortem patebant', i. e. majora erant quam opus ad occidendum.

b) Praepositiones cum ablativo junctae:

Ab praep. notabili modo posita est 1, 11, 12 'dictator ab aratro'; et 4, 2, 67 'elephanti bellorum rudes et nuper a silva'. Huic loco exemplum plane congruens non reperimus. Aliquantum differt 1, 12, 1 'Adsidui vero et anniversarii hostes ab Etruria fuere.' ubi 'ab Etruria' cum 'fuere' jungendum. Idem quod *post* valere videtur 1, 15, 1 'A Latinis aggressus est gentem Sabinorum' i. e. statim post Latinos devictos. Non absimile est 4, 2, 71 'ab amplexu dimisit'. Cui conferas Caes. b. g. 2, 25 'Caesar a X. legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus'. Ov. Met. 8, 611 'Amnis ab his tacuit'. Cum urbium nominibus legitur 1, 13 7 'conversis a Clusio'; 3, 18, 7 'a Corfinio Roma adpeteretur; 4, 11, 4 'a Brundisio trajecerat'.

Causam significat nomini rei antepositum: 3, 12, 11 'ambitus honorum ab iisdem divitiis concitatus'. cf. Dr. p. 548.

Desperare aliquid ab aliquo dicitur insolentius 4, 11. 10 'quod ubi desperavit a principe' i. e. se consequi posse. Nec tamen ellipsis horum verborum statuenda.

Cessare ab aliqua re, ut inde a Livio apud multos: 1, 10, 7 'ne qui sexus a laude cessaret'; 1, 11, '13 ne quid a rustici operis imitatione cessaret.'

De praep. discedendi et removendi notionem habet: 3, 20, 7 'capta de praetoribus castra'; 3, 21, 21 'de senatu quasi de carcere educti'; 4, 12, 7 'scutum de manu rapuit'. — Originem indicat: 2, 6, 37 'grande de Africa nomen' (sed 4, 12, 28 'cognomen ex provincia'); 3, 20, 8 'ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, de desertore latro'; cui simillimum 2, 17, 15 'qui ex venatore latro, ex latrone subito dux'. — Materiam: 2, 6, 18 'pons de cadaveribus factus'; 32 'mediam de Italia Africam faceret'. Causam animi affectus: 2, 6, 43 'de sua urbe sollicitus'.

Cum aliis verbis jungitur: 2, 2, 25 'de fortuna triumphavit'; 2, 15, 18 'de ignis mora probari potest'. Rarius est quod legitur: 1, 22, 4 'supplices de hoste Gallo vindi-

cavit'; 3, 21, 9 'ut Sulla de Mario vindicaretur' ubi *ab* praep. usitatior. Huc pertinet etiam 4, 6, 2 'ultionis spes de his qui ...' et 4, 2, 60 'de imbelli ac perfida gente justa generi manibus dedit'.

Ex causam et originem significat: 1, 1, 15 'ex auctoritate ... patres vocabantur' 1, 7, 10 'hanc ex liberis eius importunitatem'; 1, 18, 6 'semigraecam ex Lacedaemoniis conditoribus civitatem'; 1, 22, 1 'quaedam adhuc ex pastoribus feritas'; 3, 3, 4 'ex occasione latrocinia ... faciebant'; cum ex mora obsidii fames, ex fame pestilentia urgueret; 4, 6, 2 'divitiarum, quarum spes erat ex perturbatione rei publicae'; 4, 10, 4 'unus ex clade Crassiana'; — Materiam: 4, 2, 88 'ex auro captivus Oceanus', — Modum: 1, 13, 6 'ex more'; 3, 12, 4 'ex ordine'. Notatu dignius videtur 1, 9, 4 'ex summo studio adnisus est'; quod tamen in solo Cod. Naz. legitur; in reliquis *ex* deest. ct. Dr. p. 630. *Ex* idem valet quod *secundum* vel *pro:* '2, 12, 2 non putabat ex gentis dignitate'.

Pro *ab* positum cum passivo 1, 16, 9 'ex hoc gente clades ... accepta est'; 3, 16, 4 'regem ex satellibus suis se appellatum', quam codicum lectionem Halmius sine justa causa in *a* mutavit.

Pro insolentius usurpatur 4, 6. 4 'quis pro indignitate ingemiscat'; i. e. de indignitate. Similia Dr. p. 643 laudat, quibus addimus Sall. Jug. 39, 1 'pars dolere pro gloria imperii'; Liv, 4, 54 'patres non pro communicatis sed pro amissis honoribus fremere'.

c) Praepositiones *cum utroque casu* junctae. *In* praep. cum abl. nonnunquam ponitur, cum id quod in una re fit, ad aliam pertinere dicitur: 1, 18, 13 'in Antiocho vicimus Xerxen, in Aemilio Alcibiaden aequavimus'; 2, 6, 33 'tota insula in una urbe superata est'; 3, 1, 5 cum in Scauro ipsos R. imperii mores expugnasset; 4, 7, 14 'Brutus cum in Cassio etiam suum animum perdidisset'; 4, 9, 1 'Quamvis in Cassio et Bruto partes sustulisset'. Duos eiusdem modi locos laudat Dr. p. 651 Liv. 26, 43 et Ov. Met. 2, 362, quibus adde Petr. bell. civ. 48 'non homo victus erat, sed in uno victa potestas Romanumque decus'.

In cum verbis insolentius positum est 3, 4, 2 'bibere in ossibus capitum, (cf. Dr. p. 648) et 3, 10, 4 'nutante in fuga exercitu'; quod unicum videtur.

In cum accusativo juncti usus creberrimus est, cum consilium vel effectus significatur. Omnes huius generis locos laudaresupers edemus; aliquot e toto numero deligere liceat: 1, 3, 6 'missi in auxilium'; 2, 7, 8 'adesse in auxilium'; 1, 5, 3; 1, 13, 3 'in experimentum'; 1, 9, 5 in locum liberorum adoptasse; 1, 17, 1 et 2, 6, 15 'in excidium'; 1, 26, 6; 2, 18, 4 'in pretium'; 2, 2, 20 'in vindictam'; 2, 2. 35 'in hos vel illos ictus mobilia'; 1, 17, 4; 2, 6 , 3 'in causam belli electa'; 2, 6, 23 'in sacramentum liberata servitia'; 2, 15, 10 'in usum classis tecta resciderunt ... in tormentorum vincula crinis suos matronae contulerunt'; 1, 11. 1 'in regis ultionem tollit animos'; 2, 18, 8 in ultionem excanduit'; 3, 1, 10 in ultionem adsurgit; 3, 15, 2 'in alimenta pollicentur'; 3, 18 3' 'quam in spem eos Drusus erexerat'. (Sed cum eodem verbo pro *adversus:* 1, 21 'qui libertatem a dominis datam in ipsos erexerant'.) 3, 18, 4 'in arma et expugnationem urbis accendit'; 3, 20, 1 'in bona libertatis adoptantur'; 3, 21,20 'in antecessum'; 4, 2, 12 'niti in suum decus'; 4, 3, 4 'desciscit in reginam'; 4, 11, 3 'in monstrum ... desciverat'; 4, 7,

9 'pari in meliora praesagio'; 4, 12, 43 'in hoc genus servitutis assueverat'. cf. Dr. p. 658.

Sub cum abl. idem quod *ante* 4, 2, 52; 4, 7, 8 'sub oculis'; *prope* designare videtur 3, 21, 19 'apud Capuam sub amne Volturno signa concurrunt'; — 4, 8, 8 'sub percussore moriturus' i. e. per percussorem; — 3, 21, 22 'sub specie partium se vindicant'; i. e. sub specie partes vindicandi se vindicant.

Tempus indicat et *simul cum* significat 2, 8, 9 'sub ipso freti murmure'; 2, 17, 14 'sub nocte'; 4, 10, 3 sub vespere'; 2, 11, 5 'sub adventu hostis'; 3, 6, 6, 'sub ipso hostis recessu'.

VI. De Attributo.

Maxime frequentantur substantiva attributa in modum adjectivorum usurpata, quippe quae et soni et sensus amplitudinem quandam prae se ferant. 'Princeps populus', quod semel apud Liv. in praefatione est, apud hunc septies legitur: 1, 1, 3; 1, 3, 2; 1, 8, 5; 1, 26, 5; 3, 19, 1; 4, 2, 1. Octies 'victor' attributum est: 1, 18, 28 'v. equos', 2, 2, 1 'v. Italiae populus'; 3, 9, 2. 4, 12, 61; v. gentium populus'; 3, 14, 3 'populus gentium victor orbisque possessor'; 3, 21, 18, v. exercitus'; 3, 22. 9 'v. duces'; Similia sunt: 3, 18, 17 'regum et gentium arbiter populus'; 2, 7, 1 'adfectator imperii populus'; — 1, 8, 4 'bellatoribus viris ... aedificator Ancus'; 1, 16, 5 'amici vitibus montes'; 2, 11, 6 'adulteri hostis caput'; 2, 15, 4 'socio regi'. Exempla ex aliis laudat Dr. p. 668.

